



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam**

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;  
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

**Crespin, François**

**Brvxellæ, 1652**

IV. Quid Generatio substantialis viventium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

Sec. ly verò ens accipiendum antonomasticè pro ente in actu intransitivè, sive pro actu, quia actus est nobilior potentiâ: unde ly in actu in secunda definitione sumes etiam intransitivè; ly verò totius in tertia, intelliges de toto in actu, id est, secundum actum, quomodo illæ omnes definitiones in unam prout debent conveniunt, pro qua, sit

RESOLUTIO.

XVIII. **D**ico Generatio substantialis juxta mentem Aristotelis est transitus naturalis à privatione formæ substantialis ad formam substantialem in materia.

XIX. Dixi 1<sup>o</sup>. mutatio naturalis, quia Aristoteles generationes supernaturales & miraculosas; ut generationes vermium sub speciebus Eucharisticis; conversionem uxoris Lot in statuam salis; productiones arborum & elementorum in initio mundi factas; Adami ex limo; Evæ ex costa Adami; Filii Dei ex Virgine Matre; conversionem aquæ in vinum à Christo in Cana Galileæ factam, &c. non agnovit; unde illas, licet veras à definitione Aristotelis excludas.

XX. Dixi 2<sup>o</sup>. à privatione formæ, quia ly non ens, substantia in potentia totius in totum, &c. important privationem formæ, ad quam est mutatio, ut consideranti patebit.

XXI. Dixi 3<sup>o</sup>. in materia, quia, ut lib. 1<sup>o</sup>. Physic. diximus, Aristoteles substantiam, & multò minùs substantiam basim, non agnovit; eo tamen supposito, loco materiæ debet poni substantia.

DVBIVM IV.

Quid Generatio substantialis viventium.

**A**Nte Resolutionem  
XXII. Suppono 1<sup>o</sup>. generationem viventium posse dupliciter spectari: primò prout comprehendit solas generationes creatorum: secundò prout has & generationem Verbi increati comprehendit.

XXIII. Suppono 2<sup>o</sup>. generationem viventium, prout comprehendit solas generationes viventium creatorum esse optimam, hoc ipsò, quòd præcisè excludit omnes generationes non viventium creatorum: item & generationem viventium prout comprehendit generationes omnes viventium creatorum & Verbi increati esse optimam, hoc ipsò, quòd includit omnes generationes viventium creatorum & Verbi increati, & excludit omnes generationes non viventium creatorum & Spiritus sancti increati processionem. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

XXIV. **D**ico 1<sup>o</sup>. Generatio viventium, prout comprehendit solas generationes viventium creatorum, rectè definitur transitus de privatione formæ substantialis ad formam substantialem animam in materia.

XXV. Probatur, quia hæc definitio includit omnes generationes viventium creatorum, ut Adami ex limo terræ; Evæ ex costa Adami; vermium, ranarum, murium, &c. ex putri materia; & omnes non viventium excludit, ut consideranti patebit, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

XXVI. **D**ico 2<sup>o</sup>. Generatio viventium, prout comprehendit generationes viventium creatorum & Verbi increati, rectè definitur generatio viventis ex substantia, à principio quo per se, sive ex genere suo, necessario. Videtur hæc definitio omnino sumi ex D. Thoma in 1<sup>um</sup> dist. 13<sup>a</sup>. q. 1<sup>a</sup>. art. 3<sup>o</sup>. ubi sic habet: natura non est principium Spiritus sancti sub ratione voluntatis, à qua procedit amor: unde consequenter, cum 1<sup>a</sup>. parte q. 27. art. 2<sup>o</sup>. in Corp. post Damasc. lib. 1<sup>o</sup>. fidei Orthodoxæ cap. 8<sup>o</sup>. & Aristotelem Metaph. 7. cap. 8<sup>o</sup>. textu 28. generationem viventium definit origo viventis à vivente tamquam à principio conjuncto, in similitudinem naturæ, hoc sensu intelligi debet, generatio viventis à vivente, &c. agente per modum naturæ, id est necessario, & non per modum voluntatis, id est liberè.

XXVII. Dixi 1<sup>o</sup>. ex substantia, ut excludas creationes, quæ sunt ex nihilo; ut verò includas omnes generationes viventium creatorum, per ly ex substantia intellige vel ex substantia materiæ, & ut comprehendas generationes Verbi increati intellige vel ex substantia Dei absoluta.

XXVIII. Dixi 2<sup>o</sup>. à principio per se, sive ex genere suo, necessario, quia licet principium quod & materiale generationis quandoque sit liberum, ut homo respectu filii, Deus respectu Verbi; tamen nullum quo & formale, sive nulla potentia generativa est libera, sed omnis est ex natura sua necessaria, ut per omnes discurrenti patebit: unde per has particulas excludit processionem Spiritus sancti, quæ ut sit per amorem, est ex principio quo per se, sive ex genere suo, libero.

QUESTIVNCVLÆ.

XXIX. **P**etes 1<sup>o</sup>. cur non sequamur generationis definitionem viventium ab omnibus Philosophis & Theologis communiter receptam, v.g. generatio est processio sive origo viventis à vivente ut à principio conjuncto in similitudinem naturæ.

XXX. Respondeo 1<sup>o</sup>. quia non comprehendit omnes generationes viventium, ut gentiorum ex putri materia; illæ enim non sunt à vivente, imò nec generationes supra naturam à Deo factas, ut Adam, Evæ, &c. quia non sunt factæ in similitudinem Dei generantis.

XXXI. Respondeo 2<sup>o</sup>. quia malè requiritur, ut sit à vivente, & in similitudinem naturæ, ut vel etiam ex dictis generationibus, quæ sunt veræ generationes viventium, patet, & à simili ex generationibus non viventium, quæ nec debent esse à non viventibus, nec in similitudinem naturæ, ergo nec viventium à viventibus, & in similitudinem naturæ esse debent.

XXXII. Resp. 3<sup>o</sup>. quia non ita clarè excludit processionem Spiritus sancti à ratione generationis sicuti nostra; nam generatio Spiritus sancti, non minùs est in similitudinem realem naturæ, quàm processio Verbi; licet non sit in intentionalem; quia hanc non tangit definitio, sed illam, ut patet.

XXXIII. Resp. 4<sup>o</sup>. quia tot sunt diversæ illius interpretationes, quot diversi ferè authores; unde si liceat aliis ad libitum illam interpretari, & suam interpretationem pro definitione tutari; licebit & nobis, ad rationis ductum, nostram definitionem loco interpretationis tueri, cum istis vitiis nō scateat.

XXXIV. Petes 2<sup>o</sup>. an omne genitum vivens possit dici filius generantis?

xxxv. Respondeo negativè; quia nec homo dicitur filius solis; nec Adamus filius terræ; nec plantæ ex semine productæ plantarum filiæ: unde ex propria significatione videtur filius requirere, ut sit à natura intellectuali, vel saltem cognoscitiva & appetitiva, quia filius est patris & matris filius; videtur autem ad denominationem patris & matris spectare, ut filios cognoscere & amare possint.

xxxvi. Petes 3º. quænam pars animalis primò formetur?

xxxvii. Resp. diversos diversa sentire, Philosophi multi Aristotelem docentem, cor primò formari, sequuntur: Medici Hippocratem volentem jecur 1º. formari: sequere quem vis; quia experientia foetus recens concepti, quam uterque affert, valde dubia est, cum tunc partes vix sint organizatæ & conformatæ: unde dubium est, utrum exploratè videre potuerint, an cor, an jecur 1º. esset formatum: rationes pro utraque parte sunt parvi momenti; ut pro Aristotele, quòd cor sit fons caloris vitalis, sine quò nullum vivens consistit.

xxxviii. Respondetur enim quòd Hepar fit in se calidum & sufficienter foveatur calore vitali matris: Pro Hippocrate autem, quòd cor nutriatur sanguine, qui à jecore conficitur, cui similiter Respondetur in initio sufficienter, aliis & sanguine matris nutriri. Hæc paucis

## D V B I V M V.

*Quis sit terminus generationis substantialis.*

xxxix. **A** Nte Resolutionem Suppono duplicem ab authoribus assignari terminum generationis, unus est totalis, medius & primarius, & dicitur terminus, qui generatur; alius partialis immediatus & secundarius, & dicitur terminus, quo aliquid generatur. Hoc supposito, sit

## R E S O L U T I O I.

xl. **D** Ico 1º. terminus generationis qui & primarius est totum fundamentaliter.

xli. Probatur: quia illud primariò à generante intenditur, & simpliciter ut quod dicitur generari, ergo, &c.

Confirmatur ex Aristotele 7º. Metaph. textu 26. 27. & 32. & 1. Physic. textu 28. ac tandem 3. Metaphysic. text. 3º. ubi inquit: *aliter quidem materia, aliter verò ratio & forma, quia aliquod ens ratione separabile est: tertium verò, quod est ex his, cuius solius generatio & corruptio, & separabile simpliciter.* Quem locum explicans D. Thom. ibidem lect. 1ª. ait: *Compositum verò ex his, scilicet materia & forma, dicitur esse substantia, quasi separabile simpliciter, id est, separatim per se existere potens in rerum natura, & ejus solius est generatio, & corruptio: neque enim forma generatur, aut corrumpitur nisi per accidens.*

xlii. Dixi fundamentaliter; quia generatio est actio realis, quæ proinde petit terminum ante intellectum, ante quem non existit totum formaliter, ut patet ex lib. 1º. Physicorum, sed fundamentaliter tantum.

## R E S O L U T I O II.

xliii. **D** Ico 2º. terminus quo generationis, si ve in composito purè materiali, si ve in composito ex corpore & forma spirituali, est ipsa generatio.

xliv. Probatur, quia ex dictis lib. 1º. Physic. ipsa generatio est unio in composito substantiali; sed illud generatur, cujus unio generatur, ut constat ex omnium sententia in homine, ergo &c.

xlv. Adde tamen 1º. formam, si ve spiritualem, si ve materiale, rectè dici terminum quo per generationem communicatum; quia forma per illam, tanquam unionem, materiæ & composito fundamentaliter tribuitur & communicatur.

xlvi. Adde 2º. in homine, non dari terminum per generationem productum, à generatione realiter distinctum: pro quo vide dicta lib. 1º. Physic. Disp. 6ª. dub. 2º. in composito verò purè materiali esse formam, ut habes ibidem.

## D V B I V M VI.

*An Generatio Substantialis sit Instantanea.*

xlvii. **A** Nte Resolutionem Adverte in Generatione diversas actiones intervenire, prima est alteratio materiæ, ad formam disponens; deinde ipsa unio, quæ in compositis purè materialibus est productio ipsius formæ; in homine verò ipsa generatio sine termino productio realiter à se distincto. Hoc notato, sit

## R E S O L U T I O I.

xlviii. **D** Ico 1º. si generatio sumatur complexè prout includit præviā alterationem, clarum est esse successivam; quia materia per illam alterationem non nisi successivè ad formam disponitur, prout experientiā patet.

## R E S O L U T I O II.

xlix. **D** Ico 2º. si generatio sumatur incomplexè, & prout est præcisè unio, est ex parte formæ necessariò instantanea, si forma sit spiritualis, ut in homine; potest autem esse successiva, si materialis, ut in igne, & similibus compositis purè materialibus.

l. Probatur prima pars, quia, ut diximus lib. 1º. Physic. anima rationalis non est intensibilis, ac proinde debet tota simul uniri, ergo, &c.

li. Probatur secunda pars, quia ut constat ex ibidem dictis, forma materialis est intensibilis & remissibilis, ac proinde sicut potest successivè per partes intensiōis produci, ita & successivè secundum illas uniri, ergo, &c.

lii. Obijcies: primo instanti, quo producit formam ignis, formam canis, &c. est tam intensa, ac omni instanti, quo conservatur, ergo tota simul intensivè producit, & unitur, ac per consequens generatio unio formæ materialis est instantanea.

liii. Respondeo negando antecedens; nam tantum continuè intenditur forma materialis substantialis, quantum dispositiones præcisè necessariæ ad introductionem primam illius; postea intenduntur, & tantum remittuntur, quantum hæc etiam postea remittuntur. Objectiones alias vide lib. 1º. Physic. Disp. 3ª. dub. 2º.

## D V B I V M VII.

*Quæ sit Causa principalis in Generatione viventium.*

l. **A** Nte Resolutionem Suppono causam principalem Generationis viventium non esse Deum solum, aut Deum